

58. Hällström
akt. 1417

7.

IMMANUËLIS KANT
DE TEMPORE DOCTRINA,
BREVITER DILUCIDATA.

I.

EXPOSITIO METAPHYSICA,

QUAM,

CONS. AMPL. FAC. PHIL. REG. AC. AB.

PUBLICO PROPONIT EXAMINI

Mag. ANDREAS JOH. LAGUS,

S. THEOL. LIC. & ADJ. IN FAC. PHILOS.

RESPONDENTE

HENRICO ARENIO,

Bor.

In Aud. Maj. d. 17. Novembr. MDCCCIV.

horis a. m. solitis.

ABOÆ, Typis FRENCKELLIANIS.

IN SACRAM REGIAM MAJ:TEM

SUMMÆ FIDEI

VIRO,

E REGNI SVECIÆ OPTIMATIBUS UNI,

SUPREMO AD AULAM REGINÆ VIDUÆ

MARESCHALLO,

REGIÆ ANTEHAC EDUCATIONIS GUBERNATORE

VICARIO,

ACADEMIÆ ABOËNSIS CANCELLARIO,

REGIORUM ORDINUM EQVITI &

COMMENDATORI,

ILLVSTRISSIMO ATQVE EXCELLENTISSIMO

COMITI AC DOMINO,

DOMINO

CAROL. AD. WACHTMEISTER,

GRANDI HJVS MUSARVM SEDIS COLUMINI,

MÆCENATI SVO MAXIMO,

SACRVM

volut, debuit

AUCTOR,

KONGL. MAJ:TS

Tro-Man, Krigs-Rådet

Välborne

Herr REJNH. ERNST JÄGERHORN.

Välgerningar fordra tacksamhet: de fordra den i samma mån, som välgörarens affigt varit ren, hög och oegennyttig. Jag känner mig djupt rörd vid åtankan af det ädelmod, som Herr Krigs-Rådet behagat visa mina Föräldrar. Jag önskade på något sätt kunna vedergälla de välgerningar, hvarmed J dem hugnat. Nådige Herre! jag förmår det ej. En vördnadsfull erkänsla är den enda belöning jag kan åstadkomma. Vårdens såsom ett ringa prof därpå emottaga desfa rader: vårdens anse dem såsom ett bevis af den lifliga tacksamhet, och djupa vördnad, hvarmed jag har äran städs framhärda

Välborne Herr Krigs-Rådets

Edmjukaste tjenare

HENRIC ARENIUS,

KONGL. MAJ:TS

KONGL. MAJ:TS

Tro-Tjenare, Majoren och Riddaren
af Kongl. Svärds-Orden,

Högvälborne FRIHERRE,

Herr GEORG HENRIC LTBECKER.

Att med Herr Baronens vördade namn få pryda dessa
blad, anhåller i djupaste ödmjukhet

Högvälborne Herr Baron, Majoren och Riddarens

Ödmjukaste tjänare
HENRIC ARENIUS.



Conceptus Temporis Expositio Metaphysica.

Sensualitas nostra, vel vis illa, qua fit, ut ad modum, quo a rebus objectis pellamur atque afficiamur, representationes in nobis oriantur, determinata sit, necesse est, certisque legibus subjecta et conditionibus. Hasce leges atque proprietates easdem, determinatas, fixas atque immutabiles, quibus efficitur, ut quæ in visis insunt, varia illa quidem, in certum ordinem redigi possint atque disponi, formas sensualitatis nominat KANT a). Distinguit nempe inter illud, quod in intuitionibus a rebus oblatis suppeditatur, materiam, atque id, quod ab ipsa proficiscitur vi formatrice, cui applicabitur et congruet materia: pariter fere atque in arte plastica distinguimus inter materiam, æs e. gr. ex quo conlata est Statua
A Gu.

a) V. Krit. der rein. Vern. v. IMMAN. KANT p. 34. Ed. III. Riga 1790. Cfr G. S. A. MELLIN Encyclopædisches Wörterbuch der krit. Philosophie V Bs, 1 Abth. p. 313. Jena 1802.

GUSTAVI II. ADOLPHE atque ipsam formam, qua
magnificum monumentum configuratum cernis b).

Hæ-

b) Haud sine timore quodam hancce inter *materiam* et *formam*, et reliquas quæ cum eadem cohærent, distinctionem adoptamus atque metu, ne in crimen incurramus summæ hebetudinis. Vid. *Jen. Allg. Litt. Zeit.* 1804. N:o 142.

Notum namque est, materiam, quæ dicta fuit, omnem perire atque in nihilum redigi, ex recentioris, qui, nubibus sublime caput condens, semet extulit, *Idealismû Transcendentalis* decretis, quæ forinfecus nosmet impelli negant, res vero externas omnes in meras cogitationes, abire jubent. Reale jam, si his credamus, ex actione mentis primitiva omne proficiscitur (V. C. B. H. *Höijer de Constructione Philos.* p. 13. Ups. 1799): splendor est ipsius *Ego* repercussus (*Wiederschein, Abglanz des Ich* V. *J. B. Schad. Gemeinfaßl. Darstell. des Fichtischen Systems* 1 B. p. 101. Erfurt 1800). At vero negandum non esse videtur; quasdam repræsentationes, ipsumque modum, quo in nobis oriuntur, ex arbitrio nostro neutiquam pendere. Sensationes nempe eam continere deprehenduntur necessitatem, ut nec vel ingeniosissimus ita sensibus suis possit imperare, ut ab illa se liberet; quid quod sentiat huicce necessitati et coactioni frustra reniti intellectum, quamobrem ab ipsius actione interna eandem oriri posse, haud facillimo intelligitur negotio. Locum, ubi explodendum sit tormentum bellicum, vitare quidem potes; at si adlitteris, aut inopinato et incio te si fuerit explosum, neque aures tibi natura vel arte fuerint obturate; non potes quin fragorem ita percipias, ut, præter omne tuum adminiculum et arbitrium temet affecerit, qua-

Hancce materiam augeri posse atque minui deprehenditur, objecto tamen eodem manente. Super æquore velificanti aliquid a coelo sereno et mari diversum e longinquo obiter tibi apparere videtur: coeruleam primo intuitu ægre discernis lineolam, at paullatim augetur, crescit — confurgunt montes, arbores: prodeunt porro homines in littore stantes, quibus propius advectus dilectos demum agnoscis parentes, amicos, qui advenientem excipiunt sospitantur. Mutabilis ergo est, quæ ab objectis proficiscitur

A 2

ma-

demque actio mentis primitiva ejus, qui illam non audiverit, eundem producere non valebit. Hancce vero necessitatem atque coactionem, si ab interna item derivas actione, sed quæ actio esse desierit, quæque extincta in Productum rigescat, ideoque natura objecti induta, adamantinam ejus involvat necessitatem (V. *Höijer* l. c.) novis memet irretitum laqueis intelligo. — Bona igitur cum pace virorum, quorum acumina et eruditionem meas multum antecedere dotes scio, palam fatear, quod ex animo ejicere non valeam persuasionem, unicuique phænomeno aliquid extra mentem subsistens ultimo subesse fundamento, quod, ut phænomenon fieri possit, efficiat: ipsum vero hocce ultimum omnem nostram fugere percrutationem, quippe quum extra visionum sphaeram positum sit, absoluta vero materiæ constructio, qua aliquid ex nihilo producat h. e. *creetur*, Philosopho non sit data. Experientiam errare existimaverim, si ultimum eruere, naturam funditus percrutari, semet valere stolide opinetur: pariter vero labitur Speculatio, si absolutam cognitionem semet ignorantiae substituturam, arrogans sibi imaginetur. V. *Disl. de Idealismo Ficht. et Kant.* Præf. Cel. FREMLING. Lundæ 1801.

materia, atque fortuita, neque cum facultate repræsentandi necessario quodam cohærens vinculo; forma vero una eademque manet, a mente divelli nescia atque immutabilis, simulque omnem necessario concomitatur intuitionem, eandem determinans.

Jam vero duplex nobis est sensus: *alter* in rebus versatur externis, quo percipimus, objecta extra nos et se invicem esse. Hujus forma est *Spatium*. *Alter* vero, quo scilicet semet ipsam, statum nec non mutationes suas interiores intuetur mens, *interior* est sensus, h. e. facultas interiores empiricas, eo quod afficiatur, intuitiones obtinendi, simulque sensationes grati et ingrati *c*). Cujus forma rursus est *Tempus*.

Atqui unaquæque repræsentatio phænomenorum exteriorum, quam ope sensus exterioris nanciscamur, quoniam *in* nobis orta sit atque mutationem effecerit, phænomenon est interius et sensus *intimi* objectum, adeoque sub hujus forma comprehenditur. Unde neque phænomenon quodpiam exterius nisi in tempore potest repræsentari. Aures tuas feriunt vagitibus infantum intermixtæ nutricum neniae: vides navigia undis placide vecta, plantarum florentes alias, alias marcescentes. Omnes vero hæ mutationes

c) V. *Prüfung der kantischen Krit. d. r. Vern.* von JOH. SCHULTZ Th. II, p. 220. Königsb. 1792.

nes in tempore procedunt *cc*). Tempus itaque immediate quidem interiorum, at mediate etiam exteriorum, adeoque omnium omnino phænomenorum est forma universalis, atque ipsius repræsentatio ex anticipatione necessaria *d*). Jam vero facile apparet, non talem heic intelligi necessitatem perversam, quæ in unaquaque perceptione, ex lege, quam dicunt associationis, ita nos persequeretur, ut rubedinem e. gr. rosæ, vel dulcedinem sacchari sine temporis cogitatione percipere non possemus. Neque mens Auctoris ita torquenda, quasi urgeat, temporis repræsentationem semper et ubique nobis obtrudi: velut in conceptibus amicitiae, stupiditatis vel arrogantiae *e*). Sed in eo posita cernitur, de qua sermo est, temporis necessitas et natura immutabilis, quod quisque fateri cogatur, tempus tale quid esse, cujus aut non — existentia, aut alio, quam quo existit, modo existentia a nobis haud ulla ratione cogitari potest, vel repræsentari. Nam neque sensationibus, quæ quidem in absoluto et necessario non versantur, neque filo judiciorum ariadneo; sed intima conscien-

A 3 tia

cc) Οὐκ ἐστὶν οὐδὲν τῶν ἐν ἀνθρώποις, ὅ,τι οὐκ ἐν χρόνῳ ζῆταισιν ἐξευρίσκειται.

CHÆREMON:

Vid STOBÆI *Eclog. Phys.* L. I, c. XI, p. 17.

d) *Critik der reinen Vernunft* v. IMM. KANT. p. 46. Ed. III, Rigæ 1790

e) V. *Ueb. Raum und Couffalitet zur Prüf. der Kant Philos.* v. J. G. H. FEDER. p. 28-30, Göt. 1787.

tia f) manucto, tibi immediate constat, æque absurde statui temporis absentiam vel ordinem inversum, ac trianguli rectil. figuram rotundam, vel finceritatis cum fraude et fallacia convenientiam. Res oblatas omnes mente abstrahere atque tollere possumus, temporis autem extinguere repræsentationem frustra conaremur: manet indelebilis illa, nullumque existere tempus, quantumcumque nitaris, animo concipere omnino nequis. Objecta nempe temporis, quem occuparunt, locum deserere atque in alium mutari videntur. Placide fluit glacie mox reversura expeditus amnis. Fuit Iliadis auctor, quem HESIO DO coætaneum faciunt alii, alii priorem, posteriorem alii. Longam HOMERO vitam plures tribuunt, nonnulli existisse plane negant. Tempus autem ipsum perire, vel ex additione, diminutione, aut translocatione mutationem pati, cogitari nequit. Fixum manet atque immutabile, ipsiusque ordinem ullo modo turbare vel invertere, nemini in mentem venit. Neque reperitur phantasia quædam, ea pollens vi atque audacia mirabili, quæ hesternum diem e. gr. vel exterminare penitus, vel in crastinum migrare sustineat. Ex quibus jam patet, tempus neque aliquid rebus inhærens, neque relationem quandam ipsas inter cogitatam esse posse, sed in repræsentatione versari, quæ a perceptionibus non pendens, adeoque pura sit. g)

f) V. SCHULTZ *Prüf.* Th. II. p. 161.

g) Quibus pensitatis ruere videtur Leibnitio — Wolffiana defini-

Tempus porro menti obversatur tamquam quantitas infinita data et oblata, cujus repræsentatio nullis terminis circumscripta et definita sit, neque definienda, absolutis h). *Tempus, secundum se totum, inquit GASSENDI, nec principium nec finem habet hh).* In quo probe observandum est, hanc infiniti Temporis (ut et Spatii) repræsentationem haud quidem fictam esse posse et formatam remotione duntaxat limitum. Ipsos nempe quomodo removeas, nisi ex anticipatione tibi insit infiniti temporis intuitio pura. Neque melius rem expediunt, qui infinitatem temporis in eo ponunt, quod indefinitum duntaxat sit vel finitum indeterminabile. Quin potius facultas nostra repræsentandi tempus immediate sistit tamquam individuum totum, nullarumque partium, præ-

ter
tio, ex qua tempus est ordo rerum quæ serie continua sibi succedunt. Et frustra niti nobis videtur Cel. PLATNER (*Philos. Apbor.* p. 463) probaturus, similitudinem quandam intercedere Theorias LEIBNITII atque KANTII. Rerum nempe ordo cum ad intellectum pertineat, non vero sensus (qui præterea, secundum Leibnitium, in confusa rerum repræsentatione versarentur); patet, tempus in intellectu latere notione, quæ si vel penitus tollatur sensualitas, facta tactaque mansura esset. Kant e contrario statuit, formam esse sensualitati nostræ propriam, ut res omnes perceptas in tempore repræsentemus. Fac ergo sensualitatem perire, et simul peribit etiam temporis repræsentatio omnis.

b) *Crit. d. r. Vern.* p. 47.

hh) V. GASSENDI *Animadversiones in* DIOG. LAËRT. Lib. X. P. 1. p. 323.

ter illas, quas quidem ipsi determinaverimus; simulque ut quantum, quod quocumque homogeneo majus h. e. infinitum sit. Hinc fit ut limites in ipso tempore cogitare, atque pro lubitu ponere possimus: ultimum vero, quo ipsum tempus absolute finiatur, phantasia attingere, ne pertinacissimo quidem nisu valemus i). Finem quemcumque assequaris semper excipit tempus instans, quod itaque in puncto quodam, etiamsi remotissimo, cessaturum fore, haud sine repugnantia statui posset. Quumque unius dimensionis, quippe punctis modo vel momentis distinguendum, tempus sit, ex analogia cum spatio, per rectam, utrimque infinitam, idem depingimus lineam ii). Quæ sicuti puncto quovis sumto in partes duas, sibi invicem oppositas, easdemque infinitas, dispescitur: similiter tempus momento præsentis distinguimus in *Præteritum* et *Futurum*, absoluti utrumque finis expers k).

Quocumque oculos convertamus nihil absolute perpetui detegere valemus: interrupta nobis apparent

i) Ποσειδωνιος τα μεν εστι κατὰ πᾶν ἀπειρα ὡς ὁ συμπας χρόνος. V. STOBÆI *Eclog.* Lib. I. C. XI. p. 20. Antwerp. 1575. Idem statuerunt Stoici. V. STOB, l. c. Cfr. J. L. MOSHEIM in Annot. ad RAD. CUDWORTH *Systema Intell.* C. V. S. I. §. XXV. p. 779 sq. Ed. Jenæ 1753.

ii) *Crit. d. r. V.* p. 50. Cfr. *Afbandl. om den filosofiska Constructionen* af B. C. H. HÖJER. p. 41. Ups. 1799.

k) V. ARISTOTELIS *Nat. Ausc.* Lib. IV. C. XIX. p. 370, 14 Cfr. C. XVII. p. 367, 5.

rent omnia. Nihil percipere nobis licet, quod ita cohæreat, ut omni liberum sit hiatu: quin in solidissimis corporibus lacunas detegit microscopium. Seorsim fieri videmus omnia. Contrariam temporis esse rationem, a priori nobis constat: continuam nempe, ex qua partes ipsius ita cohærent, ut in quo puncto unam finiri cogitemus, in eodem succedens altera mox incipiat. Inter ipsas nullum est interstitium temporis vacuum, sed continenter sibi succedentes fluunt l). Neque ergo a se invicem separari possunt et segregari, sed finibus tantummodo communibus distingui. Ita si annum, mensem, cogitaveris; finem antecedentis iidem continent atque principium simul succedentis: momenta scil. quibus locus ipsorum in infinito tempore determinatus cogitatur. Hæcce temporis intervalla, si tamquam tota, cancellis nempe circumscripta, considerantur, in minora, menses, septimanas, eadem dispesci posse intelligimus, quæ rursus in suos decomponi possunt articulos, dies, horas, vicissim dividos; atque sic in infinitum. Nulla nempe pars temporis dari potest atque offerri, quæ absolute minima sit, ita ut ne intra fines inclu-

B da-

l) Dergleichen Grösten (Raum und Zeit) kann man auch *fließende* nennen, weil die Synthesis der Productiven Einbildungskraft in ihrer Erzeugung ein Fortgang in der Zeit ist, deren Continuität man besonders durch den Ausdruck des *Fließens* zu bezeichnen pflegt. *Cr. d. r. Vers.* p. 211.

datur, adeoque tempus fit illa ipsa *m*). Ex quo pro-
manat, tempus temporibus constare, quocirca parti-
bus simplicibus effici nequit. Non itaque sine erro-
re

32) Eandem temporis in infinitum divisibilitatem docuisse jam
Stoicos, videlicet in PLUTARCHI Commentario: *quo ostendi-
tur Stoicos quam Poetas absurdiore dicere* Opp. Tom.
X. p. 451. sqq. (Ed. Lips. 1778), graviter a PLUTARCHO,
ob hocce ipsi visum paradoxon, reprehensos. Neque mi-
tius iudicat TIEDEMANN, addens Stoicos in hoc ab ARI-
STOTELE discessisse. Contrarium docet TENNEMANN, in-
finitam temporis divisibilitatem ab Aristotele statui, quo-
dammodo probans. Luculentissime vero hoc elucet e
Nat. Aufsc. L. VI. Cap. I. tot., quod ipsam demonstratio-
nem *continuitatis*, quam desiderat TIEDEMANN, *temporis*
continet. Hacce nimirum ex natura motus mathematice
deducta, colligit: *τῶν δὲ ὄντων ἀναγκαῖα καὶ τὸν χρόνον
συνεχῆ εἶναι λέγω δὲ συνεχῆς τὸ διαίρετον ἐς αἰεὶ διαίρετα*
p. 385, 17; 373. *Cfr. de Lin. Insec. C. VII. p. 1240.*
TIEDEMANNUM vero id sefellisse videtur, quod ARISTOTE-
LES statuat divisionem non cadere in momenta; sed qui-
bus nec tempus effici posse docet: I. cit. Ratiocinio au-
tem quod adfert TIEDEMANN (— *τὸ μὲν γὰρ αὐτῶ (τῶ
χρόνῳ) γέγονε, καὶ ἐκ ἐστὶ, τὸ δὲ μέλλει, καὶ ὄπω εἶναι.*
*Ἐκ δὲ τούτων καὶ ὁ ἀπειρος καὶ ὁ αἰεὶ λαμβανόμενος χρόνος
συγκρίται: τὸ δὲ ἐκ μὴ ὄντων συγκείμενον, ἀδύνατον ἀν-
δοξεῖν κατεχθῆναι ποτε οὐσίας.*) hoc nihil aliud probare vo-
luit ARISTOTELES, quam problematicam et subjectivam
tantummodo temporis realitatem. V. TIEDEMANN *Geist
den Spekulativen Philosophie* B. II. p. 459. Marb. 1791.
TENNEMANN *Gesch. der Philos.* B. III. p. 142. Leipz.
1801. ARISTOTELIS *Natural. Aufsc.* Lib. IV. C. XVI.
p. 366, 3. (*Cfr. C. XVII, XVIII. p. 367, 4; 368, 2.*)
et C. XIV. p. 364, 2. Ed. DU VAL Lut. Par 1629.

re statui posse videtur tempus *compositum* esse *reale*,
infinite constans partibus, cum *ideale* tantum sit h. e.
tale, quod, per se indivisum, nullis constet partibus aliis,
neque pluribus, quam quot limitando in ipso pro-
duxeris *n*). Quarum quidem partium numerus,
quamquam tempus in infinitum sit dividuum, semper
tamen finitus erit *o*). Et frustra niti nobis videtur
Cel. J. A. EBERHARD probaturus, revera composi-
tum esse tempus concretum: repræsentationes scilicet
ipsius esse elementa, quæ vero cum simplicia
sint, extra sensualitatis sphaeram omnem ponens, di-
tioni subicit intellectus, qui simplex illud, formam ca-
rens detegeret *p*). Noumena itaque ipsius ex opi-
nione sunt hæc elementa. Ut vero taceamus re-
pugnans illud, quod objectum intuitionis empiricæ
elementis constaret prorsus heterogeneis; postulat ra-
tio simplex harumce repræsentationum, ut momenta-
neæ sint *q*). Ut autem recte observavit jam ARISTO-
TELES *r*), momenta non sunt temporis, ut nec pun-
cta lineæ partes, sed tantum limites, ex quibus
nihil quidem componi potest. Atque contradictio-
nem involvere videtur, rem simplicibus com-

B 2

po-

n) V. *Cr. d. r. Vern.* p. 462.

o) V. SCHULTZ *Prüf. Th.* II. p. 29.

p) V. EBERHARDS *Philos. Mag.* Halle 1788-1791, B. I. p.
169. sq

q) V. *Ueber eine Entdeckung v. IMM. KANT* p. 34, sqq 2,
Auff Königsb. 1791.

r) *Nat. Aufsc.* L. IV. C. XVII, p. 363, 7.

positam esse elementis, et tamen in infinitum dividuam. Namque si partibus ejusmodi efficiatur simplicibus, hæ partes erunt indivisibiles rei, quæ tamen ex lege continui meras partes compositas, easdemque ergo dividuas, contineat.

Conceptum generalem, seu ut mavult Kant *discursivum*, eum esse constat, quo per notas certas objecta cogitantur. Sic e. gr. conceptus *libri* notas continet, omnibus libris forma et argumento quantumcumque diversis communes, atque plures supponit, cui tribui possit s). Tale autem quidpiam Tempus non esse posse facile patet t). Non enim, ut multi libri, multi flores, multa item tempora sunt. Atque temporis repræsentatio non in plurium objectorum versatur repræsentatione, sed in unius tantummodo ex suo genere individui, neque præter semet ipsum ulli rei potest prædicati instar tribui. Quare ad unguem accurate loquendo hocce duntaxat individuum *tempus* dicendum esset, non vero intervalla mensium, annorum, quæ hujus tantum partes sunt circumscriptæ. *Unum* namque tempus est: illa, quam CICERO appellat, *ab infinito tempore æternitas, quam nulla temporum circumscriptio metitur u)*. Plura ne ipsa

s) V. MELLINS *Enc. Wörterb. der krit. Phil.* B. II. Abth. I. p. 132. Jena 1799.

t) V. KANT *Cr. d. v. Vern.* p. 47, sq.

u) *De Natura Deorum* Lib. I. T. IV. P. I. pag. 479. Ed. J. A. ERNESTI, Halæ Sax. 1776.

ipsa quidem Phantasia fingere potest. Verum enimvero sæpe fit, ut vulgari loquendi usu certam ipsorum eventuum seriem *tempus* vel *tempora* appellemus: ut cum *Augusti, medii ævi vel reformationis tempora* dicimus. His vero locutionibus impropriis nemo tempora vel numero vel genere diversa, sed partes tantummodo unius per naturam suam temporis, intelligi vult; quæ quidem non, ut aliarum rerum partes, seorsim cogitari possunt. Oculum e. gr. facili negotio tibi potes repræsentare sine adjuncta capitis humani, bovini vel felini, ex quo promineat, repræsentatione: hodiernum diem non item, nisi in ipso tempore comprehensum.

In aliis rebus si totum componi queat, antecedit necesse est, partium illud constituentium repræsentatio. Elephantis e. gr. imaginem si tibi fingere velis; proboscidem suam, pedes deformes ceteraque bestię immanis membra singillatim phantasia depingat necesse est, antequam totum prodire queat mirandi animantis simulacrum. *Ordinis* claram quo menti informare possis notionem, varia cogites, necesse est, objecta, eorumque inter se relationem &c., ex quibus ipsius *ordinis* conceptum coagmentas, componis. Temporis autem (ut et Spatii) contraria est ratio, eademque peculiaris. Namque, uti jam monuimus, non partibus constat; sed totius tantum temporis repræsentatio efficit, ut partium oriri possit repræsentatio, quarum quidem partium conceptus

generalis in cancellis et terminis in ipso tempore positus versatur.

Neque in empirico conceptu, ab ulla umquam experientia separato atque abstracto, tempus cerni posse, facili animadvertitur negotio^v). Temporis namque repræsentatio non oritur tamquam empiricum aliquid, sed perceptionibus sensualibus fundamento est, easdem necessario antevergens. Quodcumque enim sensus intret exteriores vel interiorem, in tempore necessario est repræsentandum. *Durationis* conceptus nullus est sine temporis repræsentatione. Quam enim quæso ratione durationem cogitare poteris atque repræsentare, nisi ab uno ad alterum temporis momentum transeundo? Cum duratione itaque si tempus idem esse statuis ^x), vel e durationis conceptu ortam temporis repræsentationem, per circulum vagus erras manifestum, eo quidem neutiquam vitandum, quod durationis notio ex reflexione in successione idearum nostrarum derivetur ^y). Namque perceptio rerum, quæ simul sunt vel sibi invicem succedunt, temporis duntaxat repræsentatione oriri potest. *Simul* nempe res esse, quid est aliud, quam illas in eodem temporis loco esse? Sibi invicem ipsas succedere, quoniam alio

^v) KANTS *Cr. d. r. Vern.* p. 46
^x) Vid. JEAN LOCKE *de l'Entendement Humain* L. I. Chap. XIV. *Abregé trad.* p. BOSSET p. 57. Upl. 1792.
^y) V. Lib. cit. p. 58.

alio modo tibi repræsentabis, quam ut diversa temporis occupent momenta? Ad utrumque ergo conceptum tam simultaneitatis (ignoscatur barbaro vocabulo, precor, ut sæpe), quam successione, quum necessario requiratur temporis repræsentatio, quæ ipsis fundamento sit; patet, eandem neque ex illis derivari posse, neque pro eodem cum ipsis haberi ^z). In absolutum namque tempus nec cadit successio, neque mutabilitas, sed in ipso tempore sibi succedunt mutabilia. Unde nec in motu poni potest tempus ^a),
 mo-

^z) In quo tamen errantem videmus magnum ARISTOTELEM, cujus acumen in temporis natura explicanda mireris. Tempus nempe ex successione derivat. V. *Nat. Aufc.* L. IV. C. XVII. Rectius vidit CHRYSIPPUS, qui tempus pro conditione mutationis perceptæ habuit. V. STOBÆI *Ecl.* p. 20. DIOG. LAËRT: L. VII. T. I. p. 477 Cfr. TENNEMANN'S *Gesch. d. Philos.* B. IV. p. 284. sq. — Recentiores, inter quos MAASS (EBERHARDS *Philos. Mag.* B. I. p. 340 et BRASTBERGER (*Unters. üb. Kants Crit.* p. 62), qui tempus idem cum successione esse statuunt, acute refellit SCHULTZ. V. *Prüf. v. Kants Crit. d. r. Vern.* B. II. p. 270.

^a) Ου Στωικῶν χρόνος οὐσίας αὐτὴν τὴν κίνησιν. V. STOB. *Ecl.* p. 19. Cfr. PLUTARCHI *Plac. Philos.* Lib. I. 284 Tom. IX p. 504 (Lips. 1778). Quam e PLATONE sententiam fluxisse arbitramur. Licet enim vix certo definiri possit, quid ipse de temporis natura senserit, probabile tamen videtur illum tempus pro eodem quod *motus universi* habuisse. V. DIOG. LAËRT *Vita Philosoph.* Lib. III. § 73. T. I. p. 210. T. II. p. 164 Amst 1692; SEXTI *Empir. Pyrrhon. Hypotypos.* C. XVII p. 161. Lips. 1718. et PLUT. l. c. — Una cum coelo

motum namque ipso tempore mensuramus. Quumque motus diversus sit, tardior vel celerior, tempora quoque si idem cum motu sint, uti acute observat ARISTOTELES, diversa essent, quod absolum videtur *b*). Præterea observandum probe est, quod conceptus mutationis in genere, adeoque etiam motus (qui cernitur in mutatione loci), non nisi per repræsentationem temporis esse possit. Mutationis nempe notio versatur in copulatione attributorum in eodem objecto sibi invicem contrariorum. Sic quum Solem ab Oriente in Occidentem mutatum esse statuis, quid aliud prædicas, quam Solem esse in Oriente, et tamen non esse in Oriente, sed in Occidente *c*)? Hæc inter se contraria ex meris conceptibus componere frustra niteris, nisi ipsa tamquam succedentia cogites, h. e.

ortum esse docet. V. PLUT. *Plat. Quæst.* 1007. T. X. p. 187. ARISTOT. *Nat. Aufc.* L. IV. p. 409 Ab æternitate, cujus imago tantum sit, distinguit. V. STOB. *Ecl.* p. 20. Cfr. DIOG. LAËRT. l. c. PLUT. T. IX. p. 564. Objectivam vero ipsum tempori tribuisse constat realitatem.

b) *Nat. Aufc.* C. XV. p. 365, 2. 4.

c) Quod idem dilemma notum est, quantos motus et quanta bella cecit inter prisca ævi Philosophos, quorum haud pauci motum omnem negasse videntur. V. DIOG. LAËRT. *Vite Philos.* Lib. IX, 29 et 90. T. I. pagg. 566 et 592. SEXTI EMPIR. *Opp.* Lib. X. C. II. p. 641. sq. Imprimis vero adeatur ARISTOTELES *Nat. Aufc.* Lib. VI. C. XIV. p. 595 sq. L. VI. Cap. I. p. 386 sq. ubi captiosa hæcce sophismata, argumentis e natura motus et temporis petitis, acute refutata, videas.

h. e. nisi a priori adfuerit temporis repræsentatio, qua fit, ut ambæ hæ, ex repugnantia contrariæ determinationes, in una re, nimirum alia post aliam, deprehendi possint. Quæ cum ita sint, quumque nec simultaneitas nec successio ullo percipi possit modo, sine temporis a priori repræsentatione, indubium videtur, falsam esse antiquam *d*) licet et vulgarem *e*) opinionem eorum, qui tempus notionem empiricam esse putant, ex observatis rerum conversionibus iisque inter se collatis depromptam.

Hinc simul elucet quanto laboret vitio, quam suam fecit WOLFEIUS *f*), definitio temporis *Leibnitiana g*), ex qua tempus est *ordo successivorum in serie*

C con-

d) Hanc notionem subesse suspicamur locutioni, tempus esse *διαστημα τῆς κινήσεως* vel *διαστημα τῆς κινήσεως*, vel denique *διαστημα τῆς τοῦ κόσμου κινήσεως*, quam ab antiquissimis Græciæ Philosophis maxime frequentatam esse observavimus. V. STOBÆI *Ecl.* p. 19 sq.; PLUTARCHI *Opp.* Tom. IX. p. 504, Tom. X. p. 126 sq.; SEXTI EMPIR. p. 161, 362 sqq. Clare hanc sententiam expressit LUCRETIVS *De rerum Natura* Lib. I. v. 410. obscure ita EPICURUS, ut quid senserit, vix certo definias. V. loc. cit. Ex SEXTO EMP. tempus dixerat *συμπτωμα συμπτωμάτων* itemque *ασωματων* ου παραπλησιως δε τοῖς Στωικοῖς ἐκεῖνοι μὲν γὰρ ασωματων τι καθ' αὐτο νοσημενον ὑπερησαυτο τον χρονον. EPICURUS δε συμβεβηκε τιση. p. 171. Cfr. DIOG. LAËRT. Lib. X. 72, 73 p. 632.

e) V. *Materialien zur Gesch. der Crit. Philos.* 2te Samml. p. 29 sq. Leipz. 1795.

f) V. *Philosophia prima sive Ontologia* pagg. 443 sqq. Francof. 1756.

g) V. *Script.* III. adversus CLARKIUM, qui tempori (ut et spa-

continua. Namque tam *ordinis*, quam *successionis* conceptus sine tempore nulli sunt, atque *seriei*, quomodo oriri poterit, nisi unius ad alterum additione, quam item necessario antevertet temporis repræsentatio. Hac itaque sublata, si de ordine, quo in Solio Romano serie continua sibi successerunt Caligula, Claudius et Nero, loquaris, ut intelligare frustra allaborabis, atque *successio* tua pro lubitu capi poterit vel pro gradu eminentiori vel inferiori, in quo alius super alium positi fuerint, vel pro diversis domiciliorum antris, quorsum cives vorandos rapuerit monstrorum triga.

Vel ex his jam patere arbitramur, quid ex mente KANTII tempus sit. Si nempe per *objectivum*, sensu arctiori, illas intelligis conditiones, quæ *rebus* per se competunt, per *subjectivum* vero illas, quæ ex facultate nostra repræsentandi unice pendent; nihil nisi *subjectivum* tempus continere censendum est, nulli nempe, præter mentem nostram, rei inhærens *h*). Quod si tempus per se existere statuas, se ipsum tollit et in nihilum redigitur *i*). Jam ad unamquamque perceptionem necessario requiritur eandem præcedens temporis repræsentatio, quapropter nec perceptione suppedita

ta) absolutam tribuit realitatem p. 56 Lond. Cfr. MEL-LIN *Enc. Wörterb. der krit. Phil.* Art. *Leibnitz*.

b) V. *Hauptmom. d. krit. Philos.* p. 109. sqq. Münster 1803. Idem docet ARISTOTELES *Nat. Aufc.* Lib. IV. C. XX. p. 372, 4.

i) Quod ex argutis cernitur SEXTI *Empirici* ratiociniis adversus *Physicos* Lib. X. C. III. p. 662. sqq., quibus tempus

ta ejusdemque materies esse ullo modo potest. A priori *k*) ergo erit, et quidem forma, ad cuius legem re-

C 2

præ-

Nihil esse demonstrat, tam contra HERACLITUM et ÆNESIDEMUM, qui *σῶμα μὲν ἐν τῷ χρόνῳ εἶναι μὴ διαφεγεῖν γὰρ αὐτὸν τὸ ὄντος καὶ τὸ πρῶτος σώματος*, statuebant, quam in genere contra omnes, qui tempus pro substantia, accidenti, vel relatione haberent. V. Sect. 216, 230 Cfr. Lib. I. Sect. 337 et *Pyrrhon.* III. Sect. 138 atque ad hos locos JO. A. FABRICII notas.

k) Eine Vorstellung ist im Erkenntniß Vermögen selbst gegründet, geht der Erfahrung vorher, ist a priori, heist nicht, wir würden diese Vorstellung doch haben, wenn auch gar kein Gegenstand der sinnlichen Wahrnehmung uns afficirte und eine Empfindung in uns hervorbrachte; — — aber so bald wir durch Empfindung Vorstellungen von Gegenständen bekommen, so erhalten wir zu gleicher Zeit auch Vorstellungen, die nicht durch Empfindung gegeben werden, sondern ihren Grund in unserm Vorstellungsvermögen selbst haben, dergleichen sind Raum und Zeit als Anschauungen, die in der Sinnlichkeit gegründet sind, — — Was übrigens — unsere Sinnlichkeit für eine Beschaffenheit habe, dass sie gerade bei ihrer Wirkung grade diese und keine andere Vorstellungen erzeugen, wissen wir nicht. Da wir aber um Vorstellungen zu haben, Vorstellungsvermögen in uns voraussetzen müssen, und die Vorstellungen a priori in der eigenthümlichen Beschaffenheit derselben gegründet sind, so sagt man mit Recht, dass die Vorstellungen a priori der Möglichkeit nach, der sinnlichen Wahrnehmung und Erfahrung vorhergehen, ob sie gleich der Zeit nach, mit ihr zugleich entspringen. Vid. J. G. C. KIESEWETTER in libro, qui pariter ac cetera egregii Auctoris scripta, singulari se commendat perspicuitate ora-

præsentari necessario poterunt omnia quæcumque perceptionum fieri queant objectum. Atqui temporis repræsentatio non cernitur in conceptu quodam, sed intuitione, et quidem *pura*, a sensatione nimirum vacua; quamobrem neque origo ipsius in intellectu poni debet, sed in facultate, qua gaudemus, intuendi, et quidem *interiori* illa. Repræsentatio temporis nempe nihil continere deprehenditur, quod extra nos sit, nullas formas vel figuras, sed immediate refertur ad statum nostrum interiorem, atque relationem repræsentationum nostrarum definit, quarum successio- nis perceptione sola prædicatum successio- nis rebus extra nos in spatio existentibus tribuere possumus. Sic e. gr. litterarum atque vocabulorum, quæ jam perlegis, ordinem, quo semet invicem sequuntur, et sen- sum, intuitu illorum atque externa perceptione sola ti- bi repræsentare nequis, nisi aliud post aliud animum tuum impellant ac moveant, hujusque interioris con- scius sis mutationis: quam si Tibi, Lector, gratam quodammodo fuisse comperero; insigni id mihi erit delectamento, præmioque simul operis, in posterum, si ita tulerint fata, forsan continuandi.

tionis et svavitate : *Versuch einer faßl. Darstellung der wichtigsten Wahrheiten der neuern Philosophie*, p. 47. 2te Aufl. Berlin 1798.

